

*Sacerdos infundit vinum, postea aquam
miscendam in Calice benedicit, dicens:*

DEUS, ✠ qui humanæ substantiæ dignitatem mirabiliter condidisti, et mirabilius reformasti: *(et infundens parum aquæ in calicem prosequitur)* da nobis per hujus aquæ et vini mysterium, ejus divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostræ fieri dignatus est particeps, Jesus Christus, Filius tuus, Dominus noster: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus: per omnia sæcula sæculorum. Amen.

*Sacerdos lavat manus, id est extremitates
digitorum pollicis et indicis, dicens: (Ps. 25, 6-12)*

LAVÁBO inter innocentes manus meas: et circumdabo altare tuum, Domine:

Ut audiam vocem laudis, et enarrem universa mirabilia tua.

Domine, dilexi decorem domus tuæ et locum habitatiõnis gloriæ tuæ.

Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam:

In quorum manibus iniquitates sunt: dextera eorum repléta est munéribus.

Ego autem in innocentia mea ingressus sum: redime me et miserere mei.

Pes meus stetit in directo: in ecclesiis benedicam te, Domine.

Glória Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

*Porrigit calicem ministro, qui infundit in eo parum vini, quo se
purificat: deinde prosequitur:*

CORPUS tuum, Domine, quod sumpsi, et Sanguis, quem potavi, adhæreat viscéribus meis: et præsta; ut in me non remaneat scelerum mácula, quem pura et sancta refecerunt sacramenta: Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.